



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ioannis Calvini, Magni Qvondam Genevensivm Ministri,
Vita, Moribus, rebus gestis, studijs, ac denique morte
Historia**

Bolsec, Hieronymus

Coloniae, 1582

VD16 B 6510

Capvt VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34782



ON est verò nobis in hoc amœno
itinere subsistendum, ad eius in Ge-
neuensem urbem ingressum, qui in
annum circiter 1537. incidit, pro-
grediamur, subtileis eius machinationes & stu-
dia spectaturi. Hic in seditionum & ad res
nouas proclivium Ministrorum, quorum ipse
similis erat, ordinem cooptatus, statim post,
cæteris in eadem urbe Ministris collegis suis
Guilielmo, Farello & alteri cuidam Courault
diem Dominicum in Veneris, & illius in hunc
ferias transferendas esse, cœnamque pane fer-
mentato, non autem, sicut hactenus ubique
consueisset, azymo administrandam, quod
magnum id ad Papatus exitium momentum
allaturum esset, exposuit, persuasitque; ita ut ei
vterque eius socius eodem, quo ipse, spiritu agi-
tatus statim assenserit, iunctique simul libellum
supplicem, quo vtrunque postularetur, Sena-
tui porrexerint: Senatus autem, antequam quic-
quam decerneretur, id ad Bernenses vicinos,
suosque socios & fœderatos referendum cen-
suerunt. Missi nuncij sunt, & responsum fuit,
nihil facile innouadum videri, neque antiquas
consuetudines temere infringendas, quod ad
nihil aliud, quam ad non necessarias offendio-
nes sine fructu aliquo excitandas valeat; nihil
ominus datus se operam, propediem ut Sy-
nodus Lausanne ad vtrunque hunc articulum
discu-

discutiendum coeat; vbi quicquid cōcludatur decernaturque, hoc obseruandum esse. Hoc responso accepto tres illi Ministri Farellus, Caluinus & Courault à Senatu vacati fuere, vbi lectis Bernensium literis amicè rogati sunt, Bernensium Dominorum consilio acquiescere, nihilque nouare vellent. Calvinus improbari sententiam suam non ferens, & omnes idcirco vias rationesque, quemadmodum voti compos fieri posset, perscrutatus, cum utroque suo collega deliberat, qui tandem, turbarum inter ciues & discordiarum semina spargenda, plebemque, satis alioqui ad seditiones pronam, aduersus Syndicos, gubernatores, & minoris Concilij Proceres commouendam, statuunt; certa spe freti, in eiusmodi vrbis atque ciuium discordia, dum nemo contra se obijceret, hoc, quod constituissent, consequi se atque exequi posse.

C A P V T VII.

In terea accidit, vt mense Februario Anno 1537. quidam Legier Beschaut, & alij disoluti & lascivii aliquot adolescentes, ciuium filij, quòd per urbem, die quodam ex pileis flosculorum loco porrum gestantes vagabundi discurrissent, ad carcerem traherentur. Hos Farellus in carcere inuisens duris admodum verbis obiurgat, multisque iniurijs onerat; erat enim homo supra modum iracundus immoderatique & intemperantis ingenij, cuius